



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio I. Quid sit Accidens ut sic.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

ideo quod alijs omnibus subiiciuntur, & omnia alia de ipsis vel prædicantur, vel in ipsis sunt ea gratia primæ substantiæ maxime dicuntur, primæ substantia dicitur ab Aristotele magis substantia, quia magis substat, & magis sustentat; magis enim substat, quia pluribus quam secundæ substat, nam prima substantia substat secundis substantijs, & substat accidentibus; ipsi autem nullum substat; secundæ autem licet substat accidentibus, nihilominus ipsa substat, & sustentatur à prima, unde magis substat prima quam secunda; nam ut dixi, si secunda substantia substat accidentibus, prima substat, & secundis substantijs, & accidentibus; unde cum omnia sustententur ab illa ipsaque in se, & per se, & à nulla sustententur, inde est quod æquo iure maxime magisque substantia dicatur prima v.g. Deus dicitur causa causarum, & maxima magisque causa, quia & causat effectus causarum cæcturatum omnes, & præterea causat ipsas omnes causas creatas, sic similiter quia prima substantia, & substat accidentibus quibus etiam substat secundæ substantiæ, & præterea omnibus secundis substantijs, ipsa autem à nulla sustentatur, nullaque ipsi substat, ideo omnium maxima substantia omniumque sustentaculum dicitur, quod clare ait Aristoteles, dum dixit primæ substantiæ, ideo quod alijs omnibus subiiciuntur, ea gratia maxime substantiæ dicuntur, quod Patet Suarez his verbis confirmat.

Dicendum nihilominus est primam substantiam esse maxime, & per prius substantiam, non tantum in ratione sustentendi, sed etiam in ratione substandi, loquendo formaliter de actuali substantia, ut verbum ipsum sustentendi proprie sonat, ita sentiunt omnes interpretes Aristotelis, & est manifestum, quia illi primo convenit sustentere cui existere, & operari; sed hæc primo conveniunt singularibus, ut docuit idem Aristoteles in principio metaphysicæ: ergo unde D. Thom. q. 9. de potentia, art. 1. ad 4. simpliciter ait nihil sustentere nisi individua substantiæ, atque hoc quidem dicendum de reali actu substandi etiam respectu propriarum passionum, considerando enim tantum necessariam connexionem, quæ est inter essentiam, & proprietatem, dicitur proprietates per se primo convenire speciei, seu secundæ substantiæ, & non primæ, cuius sensus est adæquatam rationem talis proprietatis esse ipsam essentiam secundum esse, & non ratione individuationis vel particularis modi sustentendi, atque eodem sensu dicamus Petrum esse risibilem, quia est homo, & non è converso, solum enim per hanc locutionem significamus hanc proprietatem esse communem Petro cum alijs hominibus, habereque necessariam connexionem cum essentia hominis ut sic; at vero loquendo de ipsa actuali inhaerentia, seu sustentatione accidentis etiam proprii, hæc semper convenit per se primo substantiæ individuatæ ac primæ, atque ita risibilitas in re ipsa prius secundum rationem inhaeret Petro, quam homini, quia sicut esse, & agere, ita recipere primo ac per se convenit singularibus sustententibus.

11 Secunda proprietas solius secundæ substantiæ est quod ipsa significet hoc aliud, significare hoc aliud nihil aliud est quam dicere naturam quandam completam singularem substantia terminatam, quam rationem important omnes completæ, & primæ substantiæ, quia unaquæque est intrinsece singularis continens in se dictam R. P. Ildeph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

sustententiam proprie naturæ accommodatam.


Prima proprietas secundæ substantiæ solius est 12 ut significet quale quid, quod nihil aliud est, quam significare quidditatem substantialem primarum substantiarum, & quia illam significant per modum formæ, dicuntur significare quale quid, id est quidditatem qualem, id est per modum formæ, quia sunt prædicata primarum substantiarum, constitutivaque ipsarum, quod omne convenit secundis substantijs, aut adæquate ut speciebus infimis, aut inadæquate ut generibus, quia inadæquatam essentiam primarum substantiarum dicunt.

Secunda proprietas secundæ substantiæ est prædicari univocæ, & essentialiter de primis, id est quidditative, & æqualiter de illis; hæc autem proprietas non convenit quarto modo secundis substantijs, quia etiam convenit accidentibus universalibus, ut calori ut sic, respectu albedinis, & nigredinis.



DISPUTATIO X.

De predicamento Quantitatis.



QVÆSTIO I.

Quid sit Accidens ut sit.

SECTIO I.

Sententiæ Adversariorum proponuntur.

PRIMA sententia est Patris Hurtado 1 in metaph. disp. 13. sect. 1. sic definitis accidens ut sit: est conceptus rem in esse substantiali supponens, illamque perficiens; est enim accidens ab accido, quia iam rem supponit, cui accidit, sive accedit, substantia enim non accidit rei, sed eam constituit, aut complet; unde per se pertinet ad primum illius conceptum; accidens autem quia non constituit rem, sed vero opus est, ut tota substantia natura præcedat accidens, quantitas enim accidit toti completo, licet sit prior naturæ; quam forma substantialis materialis, præcedit enim non intentione, sed executione, ut materiam disponat ad integrum conceptum substantiæ, & licet formam præcedat, quia est extra totum conceptum compositi, ideo est accidens; ostendi enim disp. 10. accidens esse quidquid est extra totam rationem rei, sic ille.

Secunda sententia sit definit: accidens est ens 2 aptitudinaliter inhaerens, quia asserit inhaerentiam aptitudinalem esse de essentia accidentis ut sit. Hæc sententia est ita recepta in Thomistarum schola, ut iam quasi nefas sit ab ea discedere, iuravere enim illi per paludem Stygiam nunquam se ab ea recessuros: eam late tractat, & disputat Caietanus opusculo de ente, & essentia cap. 7. q. 15. Capr. in 1. dist. 42. q. 1. art. 3. ad primum, contra 5. & 6. conclus. Iandun. Hervæ. Egid. & alij.

Cccc 2 Proba

3 Probatur, quia sicut esse ad, constituit accidens relativum, ita in constituit accidens univ-
salem; contrahitur enim ens per esse in ad novem
genera accidentium, & ideo sicut ad, est de essen-
tia relationis, ita in, est de essentia accidentis. Un-
de simplicius in commento prædicamentorum, di-
cit esse in, nullum constituit genus, sed omne ac-
cidens circuit; atqui in esse in, importatur inhæ-
rentia, non actualis, sed aptitudinalis: ergo apti-
tudinalis inhærentia est de essentia accidentis, ut
sic; unde accidens ut sit erit ens aptum inhæ-
rere.

4 Secundo, quia si aptitudinalis inhærentia, non
esset de essentia accidentis, posset completa defi-
nitione ipsum accidens concipi absque aptitudi-
nali inhærentia in eius definitione posita, quod
est impossibile, oportet enim ipsum in sua defi-
nitione habere aptitudinem inhærendi in subie-
cto; aliter subiecto non esset opus ad defini-
endum, propterea in pluribus locis ait Sanctus Tho-
mas, quod definitio accidentis est hæc, seu alia
huiusmodi res cui debeatur esse in alio.

5 Tertio, quia accidens ut sic distinguitur à sub-
stantia, quia substantia est ens per se, & ipsum est
ens in alio; atqui esse ens in alio, est esse aptum
ad inhærendum: ergo accidens est ens aptum in-
hærrere subiecto.

6 Tertia sententia asserit essentialem rationem
omnis accidentis consistere in actuali inhærentia
ad subiectum; ita sensere Philosophi Gentiles, qui
putabant nulla ratione fieri posse, ut accidens ex-
tra subiectum conservetur.

SECTIO II.

Nostri sententia explicatur, & probatur.

7 **P**rima conclusio: sententia Hurtado multis
peccat. Primo in illa particula *perficiens*; nam
ratione illius talis, definitio non convenit omni
accidenti; atqui definitio non conveniens omni
definito, & quæ adæquate non de omnibus illis
prædicatur, non est bona, sed vitiosa, ut patet ex
regulis Summularum: ergo illa definitio Hurta-
do ratione illius particule *perficiens*, vitiosa red-
ditur, & imperfecta. Maior illa est clara, quia infir-
mitas, intensus dolor, fœditas, vitium, & pecca-
tum sunt vera accidentia: atqui hæc accidentia,
non perficiunt, sed potius imperfectum reddunt
subiectum, ad ipsiusque perfectionis destructio-
nem tendunt, quod clare ipse Hurtado fateretur,
si dolore intenso capitis aut stomachi oppressus
cogeretur confiteri veritatem in hoc casu quam
forte negavit, quia non consideravit naturam
horum accidentium, quam enim perfectionem
potest asserere homini fœditas, ac monstrositas,
ratione cuius destruitur in ipso pulchritudo, ac
redditur subiectum odibile, ac per consequens ne-
quaquam amabile, & si ad altiora attendas, mo-
tivum compassionem dignum efficitur, ut videre
est in homine leproso ægritudine sancti Lazari,
igne sancti Antonij vltro, ac tandem malo Galli-
co infecto, quæ omnia convincunt evidenter ta-
les ægritudines, quæ sunt vera accidentia non ad
perficiendum, sed ad deformandum subiectum,
ipsiusque perfectionem destruendam esse à natura
inventæ.

8 Item vitium incontinentiæ, ebrietatis, menda-
cili, blasphemæ, & odij Dei sunt vera accidentia

in animo hominis residentia, imo in nullo alio,
subiecto, nisi in intellectuali possunt existeret, ut
in Angelo, & homine patet: sed hæc accidentia
vera, nullam afferunt perfectionem substantiæ:
ergo non omni accidenti convenit perficere sub-
stantiam: ergo falso dicit Hurtado dum ait, acci-
dens ut sic esse perficiens substantiam.

Vergetur, quia habitus, & facilitas erronea in
intellectu existens, quæ concipit homo Deum esse
malum, & imperfectum, est accidens oppositum
habitu scientifico circa ipsum Deum, inclinans
que ad maximam imperfectionem naturæ ratio-
nalis, ad errorem nimirum: ergo habitus erro-
neus, qui aliquod accidens est, quodque tam ma-
los effectus producit, non potest esse perficiens
substantiam in qua est, cum potius deturpet, ac
deformet illam, tam fœdissima ac inordinata in-
clinatione, & effectus; causa enim, ex effectibus
cognoscitur secundum illud Christi, ex fructibus
enim eorum cognoscetis eos, non potest mala
arbor bonos fructus facere, nec bona malos: ergo
non omne accidens datur ad perficiendum sub-
stantiam.

Secundo peccat Hurtado peccato inconsequen-
tiæ, nam in sententia ipsius, omnis actio adhuc
creativa, & primo productiva est accidentis, creatio
est accidens rei creatæ, & non supponit rem crea-
tam, sed potius supponitur actio ad illam cum
sit causalitas causæ ipsius, & causa simul cum cau-
salitate sua, est prior naturæ, termino, & effectus:
ergo creatio est prior naturæ termino creatæ; unde
supponitur ad illum, & quod certius est, non
erit supponens constitutam substantiam in suo
esse: ergo omni accidenti convenit supponere
substantiam in esse substantiæ.

Tertio illa particula *conceptus*, quæ primo po-
nitur in definitione ab Hurtado minime explicat
essentiam accidentis, melius enim diceret, si loco
conceptus poneret, *est entitas*, quia definitio debet
explicare simpliciter, & absolute naturam defini-
ti, atqui natura accidentis simpliciter non dicitur
conceptus obiectivus potius esse conceptum
obiectivum, est quasi accidens logicum, aut illi
proveniens à cognitione, aut à cognoscibilitate,
atque cognoscibilitas est attributum accidentis,
veritas enim cognoscibilis est, & veritas est at-
tributum, unde cognoscibilitas supponit entita-
tem: ergo hæc definitio, quæ explicat naturam
accidentis, aut per attributum, aut per denomi-
nationem extrinsecam, non est essentialis acci-
denti: sed potius descriptiva.

Ultimo in explicatione suæ definitionis ait
Hurtado, est enim accidens ab *accido*, quia rei ac-
cidit substantia non accidit rei. Sed contra, quia
vestis accidit vestito, & arma armato, & calcea-
mentum calceato: atqui vestis, arma, & calcea-
mentum sunt substantiæ: ergo substantia accidit
rei, nam ut bene advertit Suarez tom. 2. metaph.
disp. 37. sect. 1. num. 5. tamen è converso omne
quod alicui accidere dicitur, non est verum, aut
proprium accidens; item si per possibile, ut
impossibile duæ formæ essent in eadem materia,
vna forma vere accideret alteri, & nihilomi-
nus adhuc respectu alterius non esset verum ac-
cidens: sed vera substantia. Item unus capit-
lus accidit alteri, & est substantia: ergo falso dicit
Hurtado dum asserit substantia non accidit rei.

Secunda conclusio: inhærentia aptitudina-
lis, non est de essentia accidentis ut sic, & pro-
batur.

Primo.

- 14 Primo, quia non omne accidens dicit aptitudinem ad inhaerendum: ergo inhaerentia aptitudinalis non est ratio adæquate constituens accidens ut sic; hæc consequentia est evidens, quia id quod convenit adæquate, & essentialiter rationi superiori, convenit omni contento sub illo, de omnibusque inferioribus prædicatur secundum illud principium, dici de omni, v.g. quia de essentia animalis ut sic, est esse vivens, sensibile, tale esse convenit omni animali contento sub illo, & à posteriori colligitur evidenter rationalitas non convenit omni animali inferiori respectu animalis ut sic: ergo talis rationalitas non est de essentia animalis, ut sic: ergo si inhaerentia aptitudinalis non convenit omni accidenti, inhaerentia aptitudinalis non erit de essentia accidentis ut sic; antecedens sic probatur, quia actio qua potest creari accidens divinitus, est verum accidens; nam actio est substantialis aut accidentalis à termino, qui producit per illam; sed terminus productus per illam creatio est accidens: sed talis creatio non inhaeret, quia non habet subiectum in quo recipiatur, sed terminus, qui per eam producit, & cui adhaereat: ergo tam dataturaliquid accidens, quod non potest inhaerere: ergo non omni accidenti convenit inhaerere.
- 15 Vergetur, quia actio, qua in Hostia consecrata, conservatur accidentia separata à substantia, nullibi inhaeret: sed solum adheret illis accidentibus quæ sunt termini conservati per illam; atqui talis actio est verum accidens propter rationem dictam nuper argumento supradicto: ergo non omni accidenti convenit inhaerere.
- 16 Item, causalitas agentis, quæ est actio transiens est verum accidens respectu agentis, tale agens non respicit ut in illo inhaereat: sed potius ut ab illo fluat: ergo falsum est dicere, quod omni accidenti conveniat aptitudinalis inhaerentia respectu rei, cuius est accidens.
- 17 Præterea adherentia terminativi, respectu terminati, & actionis respectu termini, & puncti respectu lineæ, lineæ respectu superficiæ, superficiæ denique respectu corporis, est verum accidens, & nihilominus nullibi inhaeret talis adherentia: ergo non omni accidenti, &c.
- 18 Vergetur, quia inhaerentia albedinis in pariete, se habet respectu albedinis, ut substantia respectu substantiæ: sed substantia non inhaeret: sed terminat: ergo similiter inhaerentia terminat albedinem, & non inhaeret illi, inhaerentia enim licet sit ratio inhaerendi albedinis, non inhaeret in albedine: ergo iam datur verum accidens quod non potest inhaerere respectu illius, cuius accidens est.
- 19 Tandem relatio, & visio, seu cognitio sunt accidentia respectu termini, & obiecti; atqui respectu illorum non inhaerent: sed solum dicuntur ad: ergo, & ratio à priori est, quia propter imperfectionem accidentis, seu varia munera illorum quibus deserviunt substantiæ, non omnia habent eundem modum essendi, ut habet substantia. Unde omnia accidentia non dicunt respectum in: sed alia essendæ ab. Hæc adherendi, illa terminandi alia fluendi ab alijs, quo circa ut bene advertit Siles intentio universalitate, non potest dari una descriptio communis omnibus, vel generalioribus verbis utendum est, ut si dicamus accidens esse entitatem aliquo modo efficientem,

vel denominantem subiectum, non enim possumus brevius describere rationem accidentis, quoniam amplissima est, & multa maxime varia, ac diversa sub se complectitur; imo ut clare, & evidenter probatum manet, & de solis accidentibus intrinsicis loquamur, non potest dici, quod accidens ut sic intrinsecum, quatenus abstrahitur à modis, & rebus constituitur per aptitudinalem inhaerentiam ut ex dictis patet.

Tertia conclusio: Ultima sententia falsissima est, damnataque fide nostra catholica, & nullo modo potest defendi à viro veræ religionis christianæ documentis imbuto: fides enim nostra docet accidentia panis, & vini, in univertum, quæ communiter species Sacramentales appellantur existere sine inhaerentia actuali ad subiectum, esseque ab omni subiecto separata: ita expresse definitur in Concilio Lateranensi, & refertur in capite firmiter, §. una vero, de Summa Trinitate, & fide catholica, cum dicitur corpus, & sanguinem Christi sub speciebus panis, & vini veraciter contineri. Inter propositiones porto Ioannis Vviclef. sect. 8. secunda erat, accidentia panis non manent sine subiecto in eodem Sacramento, quæ propositio tamquam aperta hæresis anathemate dānata est ab Ecclesia Romana in decreto Eug. IV. quod in Concilio florentino post ultimam sessionem §. tertiam est, & tandem Concilio Tridentino sess. 13. canone 4. fides enim catholica facetur post consecrationem fieri veram conversionem substantiæ panis, & vini in Corpus Christi, desinendo esse talis substantia panis, & vini sub speciebus consecrationis, quod in Canone missæ orat Ecclesia ut sibi concedatur ante consecrationem; illis verbis, [quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus, benedictam, adscriptam, rationabilem, acceptabilemque facere dignare, ut nobis Corpus, & Sanguis fiat dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi] quodque mediantibus illis Verbis consecrationis (hoc est enim corpus, &c.) Hic est enim calix sanguinis, &c.) sibi concessum canit Ecclesia celebri illo hymno *Angela gloriosum*, dum dulciter hæc carmina profert.

*Verbum caro panem verum,
Verbo carnem efficit;
Fitque sanguis Christi merum,
Et si sensus deficit,
Ad firmandum cor sincerum,
Sola fides sufficit.*

Ergo si ex Ecclesiæ definitionibus constat accidentia illa manere sine actuali inhaerentia, sequitur evidenter actuale inhaerentiam non esse de essentia accidentis, quia impossibile est ut actus sine sua essentia existat, alias existeret, & non existeret, quod est contra evidentissimum illud axioma, impossibile est idem simul esse, & non esse.

Quarta conclusio: Hæc definitio accidentis ut sic intrinsece est entitas ex se nata afficere substantiam per intrinsecam dependentiam ab ea essendo extra latitudinem illius. Hæc definitio non potest ad breviorum methodum reduci propter amplitudinem definiti tam varia, ac diversa infertiora includentis sub se; sic autem facta definitio essentialiter convenit omnibus accidentibus tam modalibus, quam realibus; nam quicunque modus aut res petit ex natura sua intrinsece afficere substantiam sive immediate sive mediate, aut per inhaerentiam si est res, aut per adherentiam

tiam si est modus, vt actio adheret termino in-
hærentia accidenti, punctu lineæ, superficies cor-
pori cū tamen discrimine quod modus essentiali-
ter includit non aptitudinem, sed actualement affe-
ctionem, modus enim quia vltima actualitas rei
est natus ex sua natura est afficere intrinsece rem,
cuius est modus, illique actualiter vniri, & ideo
modi accidentales, vt relationes omnes prædi-
camentales præsentia, & cæteri qui sequuntur
substantiam panis, dum definit illa media tran-
substantiatione, & consecratione in Sacramen-
to Eucharistia definunt, quia minime possunt
existere separati à suo subiecto, accidentia autem
realia vt quantitas solum petunt aptitudinalem
affectionem.

22 Explicatur: ponitur *entitas*, quia accidens in-
trinsecum vt est definitum in hac definitione est
simpliciter, & absolute ens, vt late demonstratum
manet in metaphysica; imo in mea sententia est
vniuoce ens cum substantia, vt ibidem data opera
demonstrabimus, illa particula *nata*, nec denotat
aptitudinem, nec actualement affectionem, sed ratio-
nem communem vtriusque, quæ proprie aptitudo
logica solet communiter nuncupari, quæ aptitudo
sumi potest pro vt intelligitur esse in quacunque
re vel modo, etiam si maxime actualiter afficiat,
nam quod actu afficit natum est afficere, quia vero
hæc aptitudo in re, vt optime adnotat Suarez, est
per modum potentia separabilis ab actu, interdum
vero per modum actus tantum, ideo ponitur par-
ticula illa *nata*, quæ ex sua natura præscindit tam
ab actuali, quam potentiali in hærentia.

23 Particula illa *afficere* denotat conceptum com-
munem abstrahentem tam ab in hærentia, quam
ab adhærentia, quia ambæ conveniunt in ratione
afficiendi intrinsece, & ideo sunt veræ hæ prædi-
cationes, modus afficit intrinsece rem cuius est
modus, ac proinde modus denominat intrinsece
rem cuius est, creatura enim intrinsece dicitur
creata à creatione intrinsece adhærente illi affi-
cientique ipsam; Item accidens reale, vt albedo in-
trinsece afficit parietem; quare ratio illa afficiendi
vt sic abstrahens ab in hærentia, & adhærentia est
de essentia accidentis vt sic; vnde recte potest di-
vidi ens vt sic in ens per se, & in alio, seu in enti-
tatem substantialem, & accidentalem proprie, &
secundum se sumptas, sumpto tamen illo in alio,
non pro in hærentia, sed pro vt opponitur sub-
stantia, denotatque substantiam ab alio adhære-
reque, aut in hærentem in illo, nam modus in sub-
iecto est per adhærentiam; vnde vere in alio exi-
stet; item, & accidens reale in hærentem in sub-
iecto in alio similiter est; hæc autem afficiencia ab-
strahit à mediata, & immediata; vnde de ratio-
ne accidentis vt sic, non est immediata aut me-
diata affectio, quia sunt quædam accidentia quæ
immediate afficiunt substantiam, vt quantitas,
relatio, vbi, passio, intellectus, voluntas, &c. alia
vero sunt quæ medijs alijs accidentibus substan-
tiam respiciunt, vt albedo, dulcedo, media quan-
titate, actus vitales, & habitus tam intellectuales
quam voluntatis medijs potentijs, quarum actus
& habitus sunt, nullum autem potest reperiri ac-
cidens quod non respiciat vltimate substantiam,
tandem primum subiectum ac principalem fi-
nem suum vt demonstratum manet prædicamen-
to substantia, quia licet vnum insit mediante
alio, tamen omnia ad hoc tendunt vt sub-
stantiam afficiant aliquo modo, eique deser-
viant.

Particulam illam *per intrinsecam dependentiam*, 24
posuimus in illa definitione vt excludatur omnia
accidentia extrinseca, vt cognitio respectu obie-
cti, vt relatio respectu termini, actio respectu
agentis, quæ omnia non intrinsece dependent à
rebus, quarum accidentia sunt, accidentia autem
intrinseca omnia intrinsece petunt dependere à
rebus, & subiectum eorum, cuius argumentum
est imperfectio accidentis intrinseci quæ petit si
existere debet vniri intrinsece, subiecto, vt sub-
stante ab ipso intrinsece, cum ex se & à se non
possit sustentari propter debilitatem, quæ vno
intrinseca necessario debet esse cum ratione illius
forma accidentalis constituat, & denominet sub-
stantiam intrinsece, quod autem petat accidens
quodcumque illud sit dependere à substantia, his
argumentis demonstratur, & primo autoritate
Arist. qui asserit 4. & 7. *met.* Accidens esse entis
ens, id est esse ens habens suum esse ab alio ente,
scilicet à substantia per influxum: atqui influxus
est dependentia: ergo accidens dependet à sub-
stantia; vnde ortum habuit axioma illud acciden-
tis esse est inesse, id est in hærentem in substantia sub-
stantiarque ab ipsa, quod nihil aliud est, quam de-
pendere à tali substantia.

Secundo ratione, quia omne accidens intrin-
secum, aut est entitas realis aut modalis: sed tum
entitas modalis quam realis accidentalis dependet
à substantia: ergo omne accidens essentialiter
petit dependentiam: maior evidens est cum illa
sint adæquata membra per quæ dividitur acci-
dens vt sic; minor patet, quia omnis modus de-
pendet à re cuius est modus, vt vbi ab vbiato,
relatio à fundamento, substantia à natura: er-
go accidens modale etiam dependet à re, cuius
modus est, cum autem mediate, aut immediate
respiciant omnes modi substantiam: ergo media-
te, vel immediate dependet omne accidens moda-
le à substantia de reali accidenti, sic probatur,
quia omnis forma accidentalis educitur de po-
tentia subiecti, ita vt aliqua accidentia immedia-
te educantur de potentia materie primæ, & ani-
mæ rationalis, vt quantitas, & intellectus, & vo-
luntas, alia mediantibus alijs, quæ immediate à
substantia educuntur; vnde omnia mediate, vel
immediate ab illa educuntur, vt late probatur in
Philosophia: atqui educi aliquid est dependere
in esse, & fieri à subiecto à quo educitur illud vt
ex phisicis suppono: ergo omne accidens educi-
tur à substantia, vt diximus, & sic omne accidens
dependet ab illo eo modo quo educitur. Con-
firmatur ea quæ intrinsece subordinantur, intrin-
sece dependent, subordinatio enim dependentia
est, & ideo passiones dependent ab essentia, quia
illi subordinantur, & creaturæ dependent à Deo
etiam, quia subordinantur Deo; sed omnia acci-
dentia intrinsece subordinantur substantia, tum
vt ab illa sustententur, tum vt illam ornent, tum
vt illi deserviant in suis operationibus, &c. ergo
vt intrinsece dependent ab illa, & ratio evidens à
priori est, quia accidens est accessorium respectu
substantia quæ est principale illius, ideoque vt
diximus est entis ens, & est secunda entitas orta à
prima quæ est substantia: atqui accessorium de-
pendet à principali, conceptus secundus depen-
det à primo: ergo accidens omne dependet à sub-
stantia.

Tertio, quia si accidentia non dependerent à
subiecto, crearentur, & ex nihilo aliquid fieret
viriibus

viribus agentis naturalis: sed naturaliter non potest aliquid viribus agentis creati creari: ergo accidentia dependent à subiecto.

26 Vltima particula *essendo extra latitudinem*, &c. ponitur ad excludendum omnes formas substantiales materiales, quæ licet afficiant materiam primam per intrinsecam dependentiam ab ea, non tamen sunt extra latitudinem substantiæ, quia essentialiter substantiæ sunt, de eisque substantia vt sic prædicatur essentialiter, ac proinde continentur in prædicato substantiæ, & intra latitudinem illius essentialiterque constituunt totum substantiale ac intra illud existunt; formæ autem accidentales cum non sint substantiæ, sed potius circumstantiæ illius aut secundariæ entitates comparatæ cum substantia, inde evenit vt sint extra latitudinem substantiæ, & extra totum ordinem substantiæ existant, illa enim vox indicat accidens non constituere rem in suo esse simpliciter in quo distinguitur à substantiali forma, sed esse affectionem superadditam entitati vel completæ, vel per alia prædicata complendæ in suo ordine in quo distinguitur à modis substantialibus, sic explicata definitio accidentis vt sic sumitur ex Arist. 9. *met. in princ.* & 4. & 7. *met. etiam initio*, & vbi cumque agit de communi ratione accidentis aut divisione eius in novem genera semper dicit rationem accidentis consistere in hoc, quod sit entis ens, & per varios modos respiciendi substantiam accidentia distinguit, & eisdem locis idem asserit *comment. 12. met. comment. 3.* & hoc sensu potest etiam exponi communis descriptio qua dicitur accidens esse ens in alio.

27 Accidens autem reale intrinsecum quod res dicitur distinguiturque à modis, bene definitur à P. Suariorio, dicendo: est ens aptum ad inhaerendum in substantia; & probatur optime ab ipso; nam imprimis certum est huiusmodi entitatem per seipsum esse aptam ad informandam substantiam tali modo vt illi inhaereat, & ab ea sustentetur, non enim posset hoc actu convenire illi entitati, nisi in illa supponeretur aptitudo, seu capacitas ad illum modum; illa vero aptitudo non potest esse aliquid in re distinctum à tali entitate, vt facile patet rationibus quibus probatur in physicis capacitem materię non distingui à materia, neque aptitudinem informandi à substantiali forma, & in hoc omnes conveniunt, quia esset superfluum fingere illam distinctionem absque vilo fundamento, vel iudicio, nam de illa aptitudine quatenus distinguitur ab accidenti, & quæ informaret accidens, interrogo an supponat aliam aptitudinem distinctam ab ipso accidenti ad recipiendam illam, vel non? si non: ergo nec aptitudo ad hanc distinguitur ab ipso accidenti, quia non est maior ratio vnius quam alterius; si distinguitur, iterum redibit interrogatio de illa an distinguitur, & dabitur processus in infinitum. (Rursus illa aptitudo ad acciendum substantiam præcise primo, & ex primario sine talis entitatis illi convenit, & est idem cum illa: ergo est de essentia eius. Probatur assumptum, quia entitas accidentalis non ad aliud ex natura sua instituta est, nisi vt afficiat substantiam: ergo, & à fortiori aptitudo ad informandum per inhaerentiam non distinguitur ab ipso accidenti, quia actuale exercitium istius aptitudinis non est aliquid extra entitatem accidentis: sed est exhibere ipsam

propriam entitatem illius, dando seipsum, & tribuendo suum esse subiecto: ergo aptitudo ad illud exercitium extra entitatem ipsius, vt est substantia producta per illud, non distinguitur ab accidenti: ergo à fortiori aptitudo ad inhaerendum, cuius exercitium adequatum non est extra entitatem illius accidentis non distinguitur ab illo.

Confirmatur, nam ob similem causam probatur in Philosophia aptitudinem materię, & formæ ad unionem mutuam esse illi essentiali, & similiter potentias, & actus specificari ex natura sua ab obiectis.

Accidentia autem omnia comprehendendo tam intrinseca quam extrinseca, non possunt vni-²⁸ ta definitione essentiali definir, quia non conveniunt in vna ratione essentiali illis communi, cum non possit ab illis omnibus vna ratio communis abstrahi, solum enim possunt aliquomodo describi, vt supra retulimus, dicendo esse entitatem aliquomodo denominantem, & afficientem substantiam extra rationem illius existentem, per quam definitionem comprehenduntur tam entitates quam modi accidentales, siue denominantes vt sunt accidentia solum extrinsecus denominantia, quæ proprie, & in rigore non informant eas res, quas denominant, & tamen ille modus denominandi sufficit interdum ad constituendum aliquod prædicamentum seu genus accidentis.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta Adversaria solvuntur.

Ad primum nego similitudinem; nam accidens vniuersale, quatenus abstrahit à modis, & rebus non per inhaerentiam constituitur, vt probatum est, solum enim accidentia realia per talem inhaerentiam constituuntur, vt patet ex D. Thom. dicente esse in subiecto, non est definitio accidentis, sed è contrario rei, cui debetur esse in alio, & hoc nunquam separatur ab aliquo accidenti, neque separari potest, quia illi rei cui est accidens secundum rationem suæ quidditatis semper debetur esse in alio: vbi nota illa Verba (quia illi rei) per quæ denotatur accidens reale, & non modale, nec abstrahens à reali, & modali; vnde solum accidenti reali convenit aptitudinalis inhaerentia vt dictum est.

Ad secundum concedo antecedens, & negatur quod sit impossibilis definitio accidentis, vt sic sine inhaerentia, vt patet ex nostra definitione.

Ad tertium nego antecedens, accidens enim vt sic non distinguitur à substantia, quia dicit inhaerentiam, sed propter illa prædicata, quæ in nostra definitione explicuimus in favorem sententiæ P. Hurtado, potest dici quod habitus vitiosus recipiatur per modum actus in voluntate, & in intellectu habitus erroneus: atqui omnis actus est perfectio subiecti: ergo habitus vitiosus est accidens perficiens.

Respondeo falsissimum esse quod omnis actus sit perfectio, nam actus ille qui destruit perfecti-³³ nem debitam alicui, vt deformitas quæ destruit pulchritudinem, & calor qui per modum actus recipitur in aqua, destruit frigiditatem aquæ debitam, non possunt esse perfectiones illorum subiectorum; alias peccatum odij Dei posset absolute dici

dici perfectio naturæ rationalis, quia per modum actus in illa recipitur, quod est absurdum.

34 Secundo potest argui, quia omnis entitas est bona, cum bonitas sit attributum entis; at qui habitus vitiosus est ens: ergo bonus; ergo perficit hominem.

35 Respondeo frivolum esse argumentum, quia aliud est esse bonum transcendente, aliud esse absolute perfectionem, & aliter nominari, peccatum enim, seu odium Dei secundum materiale dicit bonum transcendente, non tamen potest absolute dici perficere hominem, & similiter error, hæresis, licet secundum quod sunt entia, dicant bonitatem transcendentem, nihilominus cum afferant naturæ rationali tale damnum, errandi scilicet, destruuntque in illo veritatem, inde est, quod ponderata ex una parte illa bonitate, ex alia imperfectione propria illarum, damnoque illato homini, minime possit absolute dici perficere talia accidentia subiectum.



QVÆSTIO II.

De varijs Quantitatis acceptionibus.

1 **N**TE QUAM definitionem Aristotelicam explicemus, operæ pretium duxi aliquas nominis quantitatis acceptiones in lucem edere, publicumque proferre, ut hac initiali face præeunte, ut cum olympodoro loquar, quantitatis essentia lucem offundentes, ipsius quasi magnifici cuiusdam edificij secreta penetremus.

2 Primo significat quantitatem perfectionem essentialem, unde talis perfectio ratione huius acceptionis, solet dici quantitas virtutis; unde illud quod est perfectius altero, essentialiter dicitur maius seu habere maiorem quantitatem virtutis, sive huiusmodi quantitas referatur ad ipsius substantiæ excellentiam, sive ad eminentiam virtutis operative, quod his verbis asseruit Divus Augustinus lib. 6. de Trinitate, cap. 3. in his quæ non mole, sed virtute magna sunt idem est maius esse, quod est melius esse, & hoc modo Deus licet nullam quantitatem molis habeat, dicitur habere infinitam quantitatem virtutis, tum ob infinitam perfectionem essentialem, tum ob perfectionem infinitam omnipotentæ, ratione quarum perfectionum magnus ab Hebræa Sireni, Psalmographo nimirum Rege nuncupatur, Psal. 47. cuius exordium dulciter incipit magnus Dominus, & laudabilis nimis, in civitate Dei nostri in monte (ante) eius: egregium vero laudandi principium ait Eutichius, laudabilem nimis proheri, quæ laudare suscepit, suæque magnitudine superiorem omni laude exegerat hoc verbis multis author Ecclesiastici, & Augustinus confessiones suas hinc orditur, consonat his verbis Plaf. 95. 1. 5. ubi eadem pene verba repetit, quoniam magnus, inquit, Dominus, & laudabilis nimis, terribilis est super omnes Deos, gloriam Dei, & mirabilia (ait Guanicus Abbas omni scientiarum genere, non leviter intinctus), etiam opera laudum præconijs prædicatione digna confirmat, quia magnus est in potentia, sapientia, iustitia, bonitate, & omnibus attributorum perfectionibus, quam quis vilo modo queat apprehendere; atque infinito intervallo superat, quantalibet cuiuscunque laudationem: sed & talis est, inquit Chrysostomus, quem supra cunctos, qui dicuntur Dij, & à suis timentur cultoribus in summa omnes habeant venerationem, ac timorem; denique infra dignitatem, & meritum huius Dei optimi maximi asserit linguas esse laudantium, nec illi quemquam (sive qui vere, sed per participationem, seu qui falso, & superstitiose dicatur) Deum comparandum esse: sed omnibus formidandum, & venerandum; nolite contemnere parvum, ait Augustinus, tam multa passum: parvus factus est, quia parvi eratis, intelligatur magnus, & in illo magni eritis, quid dicta est lingua parva ad laudandum magnum dicendo, nimis, valde significat *ἄλλο, μέγα, ὅσον* emit vocem, & dedit cogitationi, quod sapiat tamquam dicens quod sonare non possum, tu cogita, & cum cogitaveris parvum erit tale illud Anselmi prolog. cap. 15. Domine non solum es quo maior cogitari nequit: sed est quiddam maius, quam cogitari possit, quoniam namque valet cogitari esse aliquid huiusmodi, si tu non es, hoc ipsum potest cogitari aliquid maius te, quod fieri nequit, magnus enim est, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis, ait David Psal. 144. non modo secundum perfectionem: sed præterea secundum perfectionem, cum qua cuiusvis creaturæ comparata perfectio instat puncti reputatur ad quantitatem infinitam, imo cum exacta proportio esse possit minus, quodammodo quam nihil, ita ut à creatura nullam proprie facere acceptionem ad creatorem.

Secundo significat apud Iurisperitos, quantitas etiam modum l. 97. ff. de verb. oblig. in qua quod initio Marcel. quantitatem dixerat postea modum vocat, sic quantitatem patrimonij, operis, transactionis, legatorum, aquæ, dotis, momentum hæreditatis, operis pretij, vurarum, &c. dicuntur l. 21. in fin. ff. de novi. oper. num. leg. 15. ff. de nul. test. l. 72. l. 73. ff. ad leg. falsi. l. 45. ff. de sol. l. 20. ff. de manu vind. l. 4. co. de hæc. vel. ar. l. 9. C. de dona. inter vir. & ux. l. 24. ff. de præscriptio. quantitas nūmi proprie, & recte dicitur æstimatione illa publice constituta, qua quanti loco bis sit intelligitur, tradit Duar. lib. 1. disp. ann. cap. 6. cuius quantitatis nota, & signum est character, qui nūmo imprimitur, ut Aristoteles lib. 1. Polit. ostendit, & sic accipienda sunt Vlpiani verba in leg. à divo Pio addicantur ea quantitate, id est valore, ut vulgo loquimur, & æstimatione, quanta est summa, quæ debetur: nisi forte pluri, aut minoris valeant alteruter, id est debitor, aut creditor afficitur iniuria, alij aliter interpretantur nec parum ea verba negotij exhibere Alciato parod. lib. 6. cap. 3. & in leg. creditor, ff. de reb. creditis; unde etiam pro pretio, & valore apud Paulum, lib. sent. 2. cap. 32. servus, qui furtum fecerit. Damnum quod dederit nisi id pro sui quantitate Dominus res arcire paratus sit, voxæ deli potest, præterea quantitas in iure civili opponitur corpori leg. 34. §. 2. ff. de leg. 2. quomodo autem differat vide Cuiacium 14. observ. 9. Huom. 15. in hac autem acceptione sic definienda videtur res cuius visque ac momentum vel solum, vel præcipue spectatur Vlp. l. 34. ff. de leg. 1. Paul. leg. 87. ff. de leg. 2.

Terrio, & propriissime significat molem corpoream secundum quam aliquid dicitur extensum, & in illa possumus assignare multas partes impenetrabiles